cia durior hominum querelam prouocat. quo uero temperatior eſt ipſa ſue dulcedinis gratia, etiam inuidię quaerimonia uitat.

[ET NON ERAT ILLIS] FILIUS EO QUOD ESSET ELISABETH [STERILIS ET AMBO PRO]CESSISSENT IN DIEBUS SUIS

Diuinitus eſt procuratum ut prouectę aetatis diuque coniugii fructu priuatis Iohannes parentibus naſceretur, quatenus inopinato prolis ortu et ipſi donum gratius acciperent, et ceteros miraculi ſtupor futuri prophetę pararet auditui. Denique poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo dicentes: quid putas puer iſte erit.

FACTUM EST AUTEM CUM SACERDOTIO FUNGERETUR IN ORDINE VICIS SUE ANTE DEUM SECUNDUM CONSUETUDINEM SACERDOTII

Per Moſen quidem dominus unum conſtituit ſummum ſacerdotem, cui mortuo unum per ordinem ſuccedere iuſſit, et hoc ad David uſque tempora ſeruatum eſt. A quo plures fieri ut diximus a domino nihil omnino agente decretum eſt, qui uicarii miniſtrantes tempore uicis ſuae ſingularis caſtimoniae ſtuderent, domum namque ſuam omnino non tangerent. Unde nunc Zacharias in ordine uicis ſuae ſacerdotio functus aſſeueratur.

SORTE EXIIT UT INCENSUM PONERET INGRESSUS IN TEMPLUM DOMINI ET OMNIS MULTITUDO POPULI ERAT ORANS FORIS HORA INCENSI

Non noua nunc ſorte lectus eſt cum incenſum eſſet adolendum, ſed priſca tunc ſorte praelatus, cum primo ex ordine ſui pontificatus in uicem Abia ſuccederet. Incenſum autem in ſancta ſanctorum a pontifice deferri, exſpectante foris templum omni populo, decima die ſeptimi menſis eſt iuſſum, et hanc diem expiationis ſiue propitiationis uocari. Quę apud nos obſeruantiam lunae diſcurſum a quo menſes conputant hebrei modo in ſeptembrem menſem modo incidit in octobrem. Quia ſcilicet menſis quo paſcha geſtum ex ordine conditionis et edicto legis anni principium tenet dicente domino ad Moſen: menſis iſte uobis principium menſium, primus erit in menſibus anni. Decima die menſis huius tollat unuſquiſque agnum et cetera.